

piendo ignoraverit se peccare; cum obligatio talis restitutionis oriatur non tam a jure humano, seu ecclesiastico, quam a jure divino, seu naturali ex dictis art. 3, n. 32, ad 35, et consequenter, qui ea Simoniace accepit, restituere teneatur statim ac rescit illa tanquam aliena restitutioni esse obnoxia, etiamsi prius ipsa accipiendo id ignoraverit, ut tradunt communiter doctores; (14. Tamen præscriptio legitima excusat a dicta restitutione Simoniace acceptorum; dummodo tamen ad ipsam præscriptionem vere concurrant omnes conditiones ad ipsam necessariæ, de quibus abunde sub verb. PRÆSCRIPTIO per tot. Vide *ibi*, ubi plurima ad rem.

(15. Ab excommunicatione incursa ob commissam Simoniam in ingressu religionis, vel beneficio ecclesiastico solus Papa absolvere potest. *Communis*. Papa enim sibi illam specialiter reservavit in Extravag. *Sane 1*, et *Cum detestabile 2*, De Simonia.

(16. Ex privilegio tamen, quo regulares mendicantes absolvere possunt a casibus Papæ reservatis (qua de re legenda Appendix ad verb. CONFESSARIUS, artic. 4), possunt etiam absolvere ab ista excommunicatione, dummodo non sit publica, et ad forum contentiosum deducta. Ita Suarez, l. 4, De Simonia c. 61, num. 4; Castropal., De Simonia, punct. ult., n. 2; Reiffenstuel, lib. v. *Decretal.*, tit. 3, n. 334, et alii. Sicut et posse episcopos absolvere a Simonia occulta declaravit sacra congregat. apud Castropal., De Simonia, punct. ult. n. 3; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 340 in fine.

(17. Solus autem Summus Pontifex absolvere potest ab excommunicatione, suspensione et interdicto, aliisque pœnis incursis ob commissam Simoniam in subreptione et collatione ordinum, etiamsi Simonia sit occulta; sic enim sibi expresse reservavit Sixtus V, constitut. 10, incip. *Sanctum et salutare*, cum expressa derogatione omnium privilegiorum, ac etiam concilii Tridentini, sess. xxiv, De reform., cap. 6. Vi cujus episcopi alias possunt « in omnibus irregularitatibus et suspensionibus a delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscunque sibi subditos in diocesi sua per seipsum, aut vicarium ad id specialiter deputatum in foro conscientie gratis absolvere; » sunt verba præcisa concilii. Nec quoad hoc dicta constitutio Sixti V est moderata aut revocata a Clemente VIII, constit. 41, incip. *Romanum Pontificem*, ut patet ex dictis supra art. 3, n. 11. Quamvis tamen circa id non esse dictam Sixti V Bullam ubique receptam putet Lessius, lib. II, c. 35, dub. 24, n. 134, apud Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 335.

(18. Si beneficium simplex Simoniace fuit obtentum ab aliis, beneficiario invincibiliter ignorante, consequenter beneficium bona fide acceptante, potest episcopus cum illo dispensare, ut tale beneficium de

novo acquirere et retinere possit, dummodo illud prius libere resignet. *Communis*, textu expresso in c. *Si alicujus* 56, De electione, *ibi*: « Quavis circa eum, qui ignoranter recipit simplex beneficium per Simoniacam pravitatem, post liberam resignationem, episcopi dispensatio toleretur. »

(19. Idem potest episcopus, si est prælatura, aut dignitas, seu beneficium curatum, dummodo electio seu collatio illius per sententiam reprobata, seu cassata non sit; secus autem, si per sententiam sit reprobata, seu cassata. *Cit. cap. Si alicujus*, *ibi*: « Si alicujus electionem propter Simoniam, eo ignorante, ac ratum non habente commissam, contigerit reprobari, cum eo super prælatura, ad quam taliter fuerat electus, illa vice non potest episcopus dispensare, » juncto summario, *ibid.*, sic expresse sonante: « Cassata electione propter Simoniam etiam sine culpa electi, non dispensat episcopus ea vice cum cassato; secus, si electus libere resignavit; » Reiffenstuel, *loc. cit.*, 337, et alii. (20. In casu autem, quo talis Simoniaca electio seu collatio reprobata seu cassata fuerit per sententiam, non potest episcopus dispensare, ut talis beneficium *illa vice* retinere, vel de novo acquirere possit; sed debet tale prius alteri conferri, et postea si iterum vacare contigerit, poterit rursus conferri tali *Simoniam* ab alio commissam invincibiliter ignoranti, quia tunc dicta Simoniaca purgabitur per intermediam personam, ut notat Glossa communiter recepta in *cit. cap. Si alicujus*, verb. *Ille vice*, per textum in cap. *Ex transmissa* 7, De filiis presbyterorum, *ibi*: « Quo defuncto media intercessit persona, cui prædictum beneficium est collatum. » Et tenent Pirrhing, *loc. cit.*, n. 173; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 337, et alii communiter argument. *cit. cap. Si alicujus* 59, De electione.

(21. Pœnam inhabilitatis ad beneficium quodcumque episcopus dispensando tollere non potest, quando Simonia commissæ est ab ipso beneficiario, vel ab alio, ipso sciente et consentiente, etiamsi Simonia sit occulta; tunc enim talis Simoniacus redditur perpetuo inhabilis non solum ad beneficium Simoniace obtentum iterum obtinendum, sed etiam ad quæcumque alia beneficia per jura et constitution. Pontific. *cit. supra art. 3, n. 15 et 17*. Super quibus episcopus dispensare nequit. *Cap. Inferior* 4, dist. 22, cap. *Nulli fas sit* 25, qu. 1, cap. *Institutionis* 25, qu. 2, cap. *Quod super his* 9, et cap. *Cum inferior* 16, De majorit. et obed., Clement. *Ne Romani* § 1, De electione, *ibi*: « Lex superioris per inferiorem tolli non potest. »

(22. Et id procedit, nedum in foro externo, ut tenent doctores communiter, sed etiam in foro interno, ut expresse declaravit sac. congreg. apud Castropal., De Simonia, punct. ult., n. 3, et Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 340, his verbis: « Episcopus, etsi a Simonia occulta absolvere possit, non potest tamen Simoniacum rehabilitare ad be-

neficia in posterum obtinenda, neque ad ea retinenda, quæ per Simoniam occultam retinet. » Et sic tenent Pirrhing, *loc. cit.*, n. 173; Suarez, lib. IV, De Simonia cap. 61, n. 10 et 11, et communissima aliorum, teste Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 140, dicente jam in praxi tutam minime esse contrariam sententiam Henriquez, et paucorum aliorum putantium probabile esse, quod episcopus pro foro interno dispensare possit, si Simonia sit occulta.

(23. Quando Simonia est publica, dispensatio pro foro externo obtineri debet a dataria. Pyrr. Corrad., in *Praxi dispensation.*, lib. V, cap. 9, n. 13 et 14; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 343, et alii passim. (24. Quando autem est occulta, procuratur pro foro interno in sacra Pœnitentiaria. Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 344.

(25. In causis Simonia solus iudex ecclesiasticus cognoscere, et definitive pronuntiare potest, etiamsi reus sit laicus. Jul. Clar., lib. V, § *Simoniam*, num. 7; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 142; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 348; Abbas, in cap. *Cum sit* 8, De foro competen., et *ibi* Glossa verb. *Malefactores*, et alii communiter: Simonia enim, cum versetur circa objecta spiritualia est causa spiritualis; causarum autem spiritualium cognitio, et sententiæ pronuntiatio pertinet ad solos iudices ecclesiasticos, private quoad laicos, textu expresso in cap. *Decernimus* 2, De judiciis, *ibi*: « Decernimus, ut laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant. » Et concordat cap. *Lator* 5, cap. *Causam quæ* 7, Qui filii sunt legitimi, cap. *Contingit* 8, De arbitris, cum similibus.

(26. Ad accusandos Simoniacos quivis testis etiam criminosis admittitur, textu expresso in cap. *Tanta* 7, De Simonia *ibi*: « Tanta est labes hujus criminis, quod etiam servi adversus dominos, et quilibet criminosis admittuntur ad accusationem. » et concordant cap. *Licet Heli* 31, et c. *Per tuas* 32, eodem.

(27. In Simonia reali scienter contracta pro beneficio acquirendo, pœnitentiaria non revalidat titulum ejusdem beneficii etiam in casibus occultis, et in foro conscientie (in quo tamen dispensat ad exercitium ordinum), nisi forte agatur de Simonia ignorantia facti vel juris commissæ, et orator, quamprimum id rescivit, dispensationem petierit; quod valet et in pensionibus, in quibus Simonia realis scienter contracta fuerit. Be-

SOCIETAS, SEU SOCIETATIS CONTRACTUS.

SUMMARIUM.

1. Societas quid sit? — 2. Ad societatem quaestuosam, ut sit licita, quatuor potissimum requiruntur conditiones, quæ assignantur. — 3. Contractus vulgo dictus trium contractuum secundum multos est illicitus et usurarius. — 4. Secundum tamen communiorem et probabiliorum sententiam est licitus, et minime usurarius. — 5. Ut justitia dicti contractus trium contractuum melius intelligatur, figuratur hic casus. — 6. Assignatur regula pro determinanda quantitate annui lucri ex hoc contractu societatis licite exigendi. — 7. Adducitur fundamentum hujus sententiæ deductum ex jure. —

nedict. XIV, tom. I, constitutione 95, incipient. *Pastor bonus*, § 22.

(28. * Abstinendum est illi etiam a condonatione pretii Simoniaci, quando in Ecclesiam ipsam, vel pauperes debet erogari, nisi aliter suadeat paupertas delinquentium. *Ibid.*, § 23.

(29. Qui Simoniace intercessit pro alio ad impetrandum beneficium, tenetur in subsidium restituere ecclesiæ vel pauperibus fructus a beneficiario male perceptos ante omnem sententiam. *Instil. eccles.*, 12, § 11.

(30. Si quis poscat a S. congregatione absolutionem a Simonia commissæ in obtinendo beneficio, impetrare solet rescriptum, ut *dimittat, moneat et restituat*, nempe dimittat beneficium, moneat pro restitutione pretii accepti ecclesiæ, vel pauperibus, restituat fructus perceptos, *ibid.*, § 12.

(31. Si vero Simonia commissæ est ab aliquo tertio, in scio beneficiario, tunc rescribitur pro convalidatione tituli, dummodo ante possessionem; quod valet ac si diceretur, modo id non rescierit ante acceptam beneficii possessionem. *Ibid.*, § 12.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(32. Summus Pontifex tametsi ea, qua pollet amplissima potestate, dispensare valeat super pœnis Simonia, in foro tum interno, tum externo, rarissime tamen hac potestate uti solet, teste Corrado, in *Prax. dispensat.*, lib. I, cap. 9, n. 13.

(33. Quinimo nunquam Simoniace proviso concessit retentionem beneficii, super quo Simonia commissæ est, si eo sciente commissæ sit. Idem auctor *ubi supra*.

(34. Cæterum si ignorante proviso Simonia sit commissæ, nec ei concedit retentionem illius beneficii, sed ipsum noviter ei confert.

(35. Porro ubi Simonia sit publica, recursus haberi debet ad datariam Apostolicam, ibique proponenda est supplicatio pro utroque foro, et exprimi debent fructus ex beneficio Simoniace acquisito percepti, cum debeantur ii cameræ Apostolicæ, licet nunquam pro ipsis fieri soleat transactio.

(36. A proviso autem cum ignorantia Simonia sufficit eos exprimi fructus, qui percepti sunt post habitam notitiam Simonia, cum priores lucretur.

(37. At si Simonia sit occulta, recursus habetur ad sacram Pœnitentiariam cum supplicatione dispensationis pro foro interno tantum.

8. Adducitur etiam ratio. — 9. Affertur et solvitur instantia. — 10. Affertur et solvitur alia instantia. — 11. Hactenus dicta procedunt etiam de societate animalium adjecto pacto assecurationis. — 12. In contractu societatis, si quid pereat sine ulla culpa sociorum, damnum censetur commune. — 13. Si autem quid pereat culpa lata, vel levi unius socii, tenetur solus talis socius ad dictum damnum. — 14. Ex dictis infertur primo, quod si res tradita in societatem fuerit furto sublata defectu debitæ custodiæ, teneatur ille, cui data fuerit, illam compensare, nec damnum sit commune utrique. — 15. Infertur secundo, quod non solum teneatur socius ex dolo,

culpa lata, et levi in ordine ad damnum, ex ea sententia, sed etiam in ordine ad lucrum cessans, et damnum emergens. — 16. Infertur tertio, quod ex culpa etiam levi alicujus ex sociis, teneantur etiam heredes ejusdem delinquentis ad compensationem alteri ex sociis faciendam. — 17. Expensæ, quæ fiunt causa necessitatis, debent esse communes, et solvendæ sunt ex communi pecunia societatis. — 18. Hinc si ex necessitate societatis quis ex sociis proficiscatur in alias regiones, et sumptus majores faciat, quos non faceret domi se continens, debet ex bonis societatis quoad illos compensari. — 19. An autem deducendæ sint expensæ illæ, quas dictus socius domi fecisset, si alio profectus non fuisset, variant doctores, quidam enim affirmant, et alii negant. — 20. Conveniunt tamen, quod non essent solvendæ ex bonis societatis expensæ illæ, quæ inutiliter, et irrationabiliter fierent in conviviis, aliisque rebus non necessariis. — 21. Si socius aliquis absque sua culpa etiam levi ex causa societatis damnum aliquid incurrit, est ei compensandum ex pecunia societatis. — 22. Secus esset dicendum, si talis socius ex culpa in tale damnum incidisset. — 23. Sicuti etiam damna propria, quæ socius non ex causa societatis incurrit, debent ipsi soli, et non societati imputari. — 24. Societas finitur seu dissolvitur quatuor præcipuis modis, scilicet ex personis, ex rebus, ex voluntate et ex actione. — 25. *Ex personis* dissolvitur societas per mortem naturalem unius socii, quamvis societas cum pluribus contracta fuerit, et plures supersint. — 26. Item per mortem civilem. — 27. Item per maximam, et mediam capitis diminutionem, at non per minimam. — 28. Quid, quotuplex sit capitis diminutio, qua-

(1. Societas est contractus duorum vel plurium aliquid pretio æstimabile (utpote suam pecuniam, mercem, operam, industriam et hujusmodi) conferentium pro negotiatione aliqua honesta ad commune lucrum proportionem rerum contributorum inter socios dividendum. Est in re communis, et desumitur ex l. *Societatem* 4, l. *Societates* 5, l. *Si societatem* 6, ff. *Pro socio*, et instit. tit. 26, *De societate*.

(2. Ad societatem quæstuosam, ut sit licita, quatuor potissimum requiruntur conditiones. Prima conditio est, ut societas fundetur in negotiatione licita et honesta. Unde iniqua et invalida est societas, quæ instituitur et inquitur ad illicitum, et inhonestum commercium, ut ad meretricium, leonocinium, usuram, furtum, fraudem et quemcunque malum dolum. L. *Ea vero* 3, et leg. *Nec prætermittendum* 17, ff. *Pro socio*, * quibus adde l. 1, § 14 in fin., ff. *De tut. et rat. discr.*, l. 33, § 2, ff. *De contraempt.* *. Secunda, ut quilibet socius aliquid pretio æstimabile conferat in communem societatem, sive dein conferat pecuniam, aut mercem, sive operam vel industriam suam: * et si actu non conferat, saltem se collaturum polliceatur *. Plerumque enim pauperiores supplent sua opera et industria, quod alii præstant suis mercibus. L. *Societates* 5, et l. *Si societatem* 6, ff. *Pro socio*. * Ideo Diocletianus statuit societatem, uno pecuniam conferente, alio operam, posse contrahi, l. 1, cod. *Pro socio* *. Tertia, ut servetur æqualitas inter socios, tam quoad damna, quam quoad lucra, ita ut alius præ alio non lædatur, et lucrum, jactura, im-

lisque sit maxima, media et minima. — 29. *Ex rebus* dissolvitur societas, quando sors capitalis perit in totum, vel conditionem ita mutavit, ut non amplius sit in commercio hominum. — 30. Item societas dissolvitur publicatione bonorum. — 31. Item societas dissolvitur per cessionem bonorum. — 32. *Ex voluntate* dissolvitur societas per renuntiationem. — 33. Item finita negotiatione. — 34. *Ex actione* dissolvitur societas iudicio, et auctoritate. — 35. Item per stipulationem. — 36. Item quando socii non inscii separatim agere incipiunt, et unusquisque sibi negotiatur. — 37. Item quando ipsa actio perit. — 38. Perit autem actio temporis conventi lapsu, id est actione finitur societas, finito tempore ad societatem constituto. — 39. Item perit actio per sententiam iudicis: et per novationem et delegationem. — 40. Finita seu dissoluta societate, divisio bonorum, seu lucri provenientis debet fieri inter socios ad æqualitatem juxta proportionem illius, quod quisque contulit in societatem. — 41. Finita seu dissoluta societate, atenta natura contractus, si alter ex sociis contulit rem seu pecuniam, et alter suam meram industriam, seu operam non majoris valoris dictæ pecuniæ, seu rei, capitale est restituendum ei, a quo datum est, et solum lucrum dividendum. — 42. Si finita et dissoluta societate, nullum sit lucrum dividendum, adhuc totum capitale est restituendum ei, qui illud contulit, et si capitale perierit, totum ipsi conferenti perit. — 43. Finita et dissoluta societate, si de ipsa nihil expresse determinet jus, et nulla inter contrahentes præcesserit justa pactio, divisio est facienda juxta probatam consuetudinem loci. — 44. Alia ad rem ad num. 55.

pendia et detrimenta communicentur inter omnes socios, pro rata cujusque sortis, nisi aliter conventum sit. L. *Si societatem* 6, et leg. *Si non fuerint* 29, ff. *Pro socio*, et § 1 et 2, instit. *De societate*. Quarta, ut capitale collatum in communem societatem subiacet periculo conferentis, ita ut si pereat absque culpa socii, pereat illi, qui illud in societatem communem contulit; cum talis conferens sit solus dominus dicti capitalis, et quælibet res domino suo pereat; nisi tamen aliter conventum sit per pactum assecurationis per infra dicenda de contractu vulgariter dicto trium contractuum. Arg. c. *Contractus* 87, *De regul. juris* in 6, ibi: « Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur, » et § 2, instit. *De societate*, et l. *Si non fuerint* 29, ff. *Pro socio*, et l. *Depositum* 1, § 6, ff. *Depositum*.

* Præcipuam conditionem omittit auctor, ut nempe bona fide contrahatur. Cum enim contractus fit, bona fides principaliter desideratur. Quapropter societas si dolo malo, aut fraudandi causa coita sit, ipso jure nullius momenti est; quia fides bona *contraria est fraudi et dolo*, l. 3, § 3, ff. *Pro socio*. Rursus requiritur, ut fiat animo lucri faciendi. Hinc donationis causa societas recte non contrahitur. L. 5, § 2, ff. *Pro socio*, l. 25, § *De mortis causa donat.* *.

(3. Contractus vulgo dictus trium contractuum, scilicet societatis, assecurationis capitalis et venditionis lucri incerti pro certo, secundum multos est illicitus et usurarius, si celebretur cum eadem persona, sive simul, sive successive. Sic Sotus, lib. vi. *De justit.*, qu. 6, art. 2; Filiucius, *De*

societat., cap. 19, n. 27; Arragonius, 2-2, qu. 78, art. 2; Bannez, 2-2, qu. 78, art. 4; *De societate*, dab. 1; Rebellus, lib. xv, qu. 4; Azorius, *Institut. moral.*, p. iii, lib. ix, cap. 4, quæst. 5, vers. *Ex his solvitur altera difficultas*, qui pro se citat sanctum Thomam, 2-2, quæst. 70, art. 2, ad quintum; sanctum Bernardinum Senens., part. ii, serm. 39, art. 1, cap. 1, vers. *Primus casus*; sanctum Antoninum, part. ii, tit. 1, cap. 7, § 7; Glossam, in cap. *Plerique* 14, qu. 3; Abbatem, in cap. *Per vestras*, *De donationibus* inter virum et uxorem; Rodolphum, in c. *Consuluit*, *De usuris*, part. ii, qu. 19; Accursium, in leg. *Si non fuerint* 39, ff. *Pro socio*; Baldum, in leg. 1, c. *Pro socio*, innumerosque, tum canonici, tum civilis juris interpretes. Et sic tenet etiam Henno, tom. II, tract. 2, disp. 9, quæst. 5, conclus. unica. Et novissime cum pluribus aliis Pontas, verb. *Societas*, cas. 30 per tot., ubi mordicus hanc propugnat sententiam adducens ad illi constitutionem 45 Sixti V, incip. *Detestabilis avaritia*, et multa alia ad rem, solvendo etiam contraria. V. *infra* n. 44.

(4. Communior tamen et probabilior sententia docet talem contractum trium contractuum esse licitum (60), et minime usurarium, quamvis cum eadem persona, sive simul, sive successive celebratum. Sic tenent Gabriel, in 4, dist. 15, quæst. 11, dub. 10; Major, in 4, dist. 15, quæst. 27; Valentia, disp. 5, tom. III, quæst. 24, punct. 2; Molina, *De justit. et jur.*, lib. ii, cap. 24, dub. 3; Covarruv., lib. ii *Variar. resolut.*, cap. 2, n. 3; Tolet., lib. v, cap. 41; Bartholomæus Medina, in *Instruction.*, § 27; Garcias, *De contractibus*, part. ii, c. 17; Ludovicus Lopez, *De contractibus*, lib. i, cap. 65; Navarr., c. 19, n. 225; Angelus, verb. *Societas* 1, § 17; Silvester, verb. *Societas* 1, q. 2; Fumus, verb. *Societas*, n. 6; Layman., lib. iii, sect. 5, tract. 4, cap. 20, n. 2; Bonacina, tom. III, disp. 3, *De contractibus*, q. 5, punct. 1, n. 3, vers. *Dixi nisi*; Reginald., lib. xxv, cap. 29, n. 396; Lugo, *De justit. et jur.*, sect. 2, num. 40; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 8, dist. 4, q. 10, n. 134; Petrus Marchant., *Tribunal.*, tom. II, tract. 8, tit. 5, sect. 8, dub. 2; Diana, part. i, tract. 30, *De contractibus*, resolut. 8; Sporer, tom. II, tract. 6, *De contractu societatis*, n. 58; La Croix, lib. iii, part. ii, n. 876, cum Busemb. et pluribus aliis ibi citatis. Felix Potestas, tom. I, part. ii, n. 2420, et alii innumeri. Et ex jurisperitis Hostiensis, in *Summa*, tit. *De usuris*, § *In aliis autem*, vers. *Porro fieri potest*; Joan. Andreas, in cap. *Per vestras* *de donation. inter virum et uxorem*, et alii, et videtur colligi ex l. *Si non fuerint* 29, § 1, ff. *Pro socio*, l. *Depositum* 1, § 6,

Nota Rom. Theol.

(60) Contractum trium contractuum nullatenus esse privata auctoritate censura notandum, lubens admitterem, monitum in hoc sequens sapientissimi ac circumspectissimi Pontificis Benedicti XIV, lib. x, *De Syn.*, cap. 7. Periculosum nihilominus, atque in praxi vix ab usura immunem illum pronuntiabo, ac promde fideles deterrendos esse ab eo ineundo,

ff. *Depositum*, c. *Per vestras* 7, *De donationibus* inter vir. et uxorem, cap. *Contractus* 85, *De regul. juris* in 6.

(5. Ut justitia dicti contractus trium contractuum melius intelligatur, figuratur hic casus. Supponamus quod Titius det Caio mercatori mille florenos ad negotiandum, et dicti mille floreni Titii sint æqualis valoris cum industria Caii, et insuper quod spes lucri iudicio prudentum, et peritorum sit de ccc florenis: in tali casu ex vi contractus societatis debentur Titio una cum sorte ccc floreni, qui sunt dimidium lucri prudenter sperati; at quia ad Titium spectare deberet sortis seu capitalis periculum, ideo convenit cum Caio, ut periculum illud, et onus omne in se suscipiat assecurando sortem, seu capitale, pro cuius assecurationis et oneris suscepti compensatione relinquit ei majorem partem dicti lucri prudenter sperati, ita ut sola tertia pars, nempe c floreni pertineant ad ipsum Titium, et alia duæ partes, nempe cc floreni, spectent ad Caium; et quia adhuc in Titio manet incertitudo lucri sperati, ideo tertiam illam partem lucri sperati, scilicet c florenos, in spe incerta vendit Caio pro dimidio circiter, verb. gr. pro l. vel lx florenis certis: spem enim lucri capiendi, non minus quam jactum retis justo pretio vendi posse nemo dubitat, ut recte advertit Sporer, *loc. cit.*, nu 59. Dicti autem tres contractus, scilicet societatis, assecurationis et venditionis, sicuti secundum se sunt justis et licite celebrati cum tribus diversis personis, ut omnes fatentur, ita etiam justis et licitis sunt, si celebrentur simul cum eadem persona, quia nec unio, nec identitas personæ, destruit substantiam contractus. * Cæterum consentiunt omnes, inquit Antoine, in tract. *De contractibus*, cap. 8, quæst. 3, not. 2, non licere hos contractus celebrare cum eo, qui non putetur ex ea negotiaturus, v. gr. cum paupere, qui indiget ex illa pecunia ad suam sustentationem, vel ad solvenda debita. Quia tunc non esset nisi ficta societas, quæ usuram valeret, nec verus esset titulus aliquid supra sortem exigendi *.

(6. Pro determinanda tamen quantitate annui lucri ex hoc contractu societatis licite exigendi, attendenda est regula, quam ex cardinali de Lugo tradit Sporer, *loco cit.*, num. 60, nempe quod lucrum certum, quod socius conferens capitale exigere potest, debet esse ita moderatum, ut attento capitali, quod confert, et spe lucri, quod potest esse ex tali negotiatione, juste compensetur periculum, quod alter socius subit per assecurationem capitalis, et certi annui lucri, quod dare promittit. Unde fit quod aliquando vix quatuor, tria aut duo certa

ut plures præstitere episcopi, et synodi, optime advertit idem Pontifex, *ibid.*, nec diffidetur ipsemet Lucius, n. 44 hujus art. His positis, divinare non valeo, cur sententiam, quæ talem contractum licitum reddit, possit hic probabiliorum et communiorum appellare. Verum hujusmodi, similesque voces non semper rectam suam præferunt significacionem, cum a casuistis usurpantur.

exigi possint pro e collatis, quando scilicet secundum rectum iudicium prudentium et peritorum mercatorum negotiatio suscepta non valde lucrosa est; e contra autem 6, 7, imo et 8 certa juste exigere possunt pro e collatis, quando secundum dictum rectum iudicium prudentium et peritorum mercatorum negotiatio suscepta est adeo notabiliter lucrosa, ut alter socius ex remanente sibi lucro sufficienter satisfactus censetur pro onere et periculo, quod subit ratione prædictarum assecurationum, nempe capitalis, et certi annui lucri: et ita Bonarina, disp. 3, *De contractibus*, qu. 3, proposuit. 13, cum supposuisset licite posse exigere pro e, *ibid.*, n. 6, recte addit, in societate trium contractuum plus posse exigere, quando negotiatio majus lucrum affert.

(7. Unde, istis notatis, adducitur fundamentum hujus sententiæ desumptum ex l. *Si non fuerint* 29, § 1, ff. *Pro socio*: ubi præcise dicitur: « Ita coiri societatem posse, ut nullius partem damni alter sentiat, lucrum vero commune sit. Hoc autem non potest fieri, nisi assecurando capitale, et lucrum certum, ut explicat Glossa, *ibid.*, vers. *Damnum est*, ita ut nullum remaneat periculum damni subeundi. * Huic legi videtur ob stare eadem lex § 2, ubi expresse prohibetur, quo minus contrahatur societas, in qua alter damnum, alter vero lucrum sentiat; sed respondetur casum esse longe diversum; nam casus de quo in § 1, supponit omne lucrum ad unum spectare, damnum vero ad alterum; sed § 2, statuitur, ut quis deducto damno lucrum sentiat, sive deducatur pacto, sive consuetudine, sive arbitrio boni viri *.

(8. Et favet etiam cap. *Advestras* 7, Dedonationibus inter virum et uxorem, ubi Innocentius III præcepit, ut dos uxoris, cujus maritus prodigus vergebat ad inopiam, daretur mercatori ad lucrum; quod dictus Pontifex non præcepisset, nisi supposuisset fuisse licitum sortem dotis præcipuam salvam præstare apud mercatorem suscepturum hujus summæ periculum, et intermedio tempore soluturum fenus æquum et honestum compensando se quæstu, quem societas pareret, ibi: « Mandamus quatenus dotem assignari faciatis eidem sub ea, quam potest, cautione præstare, vel saltem alicui mercatori committi, ut de parte honesti lucri dictus vir onera possit matrimonii sustentare. »

(9. Accedit ratio, quia in illo contractu servatur justitia commutativa, cum, ut supponitur, assecuratio capitalis, et venditio lucri incerti fiant justo pretio; ergo est justus et licitus: sicut enim fit justo pretio cum diversis personis, ita etiam cum eadem; quandoquidem personarum diversitas non mutat pretia rerum, nec variat rationem contractus: adeoque si talis triplex contractus celebratus cum diversis personis licitus est et non usurarius, ita etiam si celebretur cum eadem persona.

(10. Nec valet dicere, quod si tale capitale pereat, debeat perire ipsi conferenti, qui

illius adhuc est verus dominus cum quælibet res domino suo pereat. Non valet, inquam, quia hoc verum est regulariter loquendo, ac secluso speciali pacto, quo quis periculum rei alienæ sponte in se suscipit: alias secus. Quamvis enim in simili commodatarius vel depositarius regulariter non teneatur de casu fortuito, quo res commodata vel deposita absque sua culpa perit; secus tamen, si præcesserit pactum de præstando casu fortuito, textu expresso in cap. *Cum gratia* 1, De commodato, et cap. *Bona fides* 2, De deposito. Contractus enim ex conventionem legem accipere dignoscuntur. Cap. *Contractus* 83, De regul. jur., et l. *Depositum* 1, § 6, ff. *Depositum*.

(11. Nec valet instare, quod Sixtus V, in allegata constitut. 44, incip. *Detestabilis avaritiæ*, damnaverit omnes pactiones, quibus cavetur, ut capitale salvum maneat, sive contrahatur ad certum, sive ad incertum lucrum. Non valet, inquam, quia, ut referunt Comitulus, lib. III *Respons. Moral.*, quæst. 12, nu. 3, et ex ipso card. de Lugo idem Sixtus V, de sensu Bullæ interrogatus, respondit se in ea voluisse solum prohibere in contractibus societatis illas injustas pactiones, quas classici doctores condemnarent; et sic etiam asseveraverunt Patri Tuccio eximie præclarissimæ Societatis Jesu theologo, cardinalis Sanctæ Severinæ, et cardinalis Toletus, qui jussu Sixti V, dictam Bullam condiderunt. Accedit Rota, in *Romana Societatis*, die 3 Junii 1602, coram Coccino decano, ubi censuit dictam Bullam comprehendere solum casus usurarios de jure communi, additis tamen majoribus poenis: quam decisionem refert Flavivus Cherubinus, in *Compendio Bullarum schol.* 1, ad dictam Bullam 43 Sixti V. Tum quia Lessius, *loc. cit.*, num. 33, apud La Croix, *loc. cit.*, num. 876, vers. *Hæ rationes*, et alii apud card. de Lugo, *loc. cit.*, num. 37, dicunt Sixtum V solum prohibuisse hujusmodi pactiones, quando apponuntur ex vi solius societatis, non tamen quando societati adjungitur alius contractus, quo socius propter pretium justum suscipit in se periculum capitalis assecurando illud, vel emit spem lucri incerti, offerendo pro illo partem minorem certam; nec S. Thomas, S. Antonin. et sanctus Bernardinus Senensis citati pro contraria sententia, si bene perpendantur, habent aliquid in re contra istam sententiam, ut ponderando eorum verba recte advertit doctissimus Rosignolus præstantissimæ religionis S. Pauli de collati, *De contractibus*, contract. 3, disquisit. 6, § 17, num. 8.

(12. Hactenus dicta procedunt etiam de societate animalium adjecto pacto assecurationis, ita ut possit tradi rustico seu pastori certus numerus pecorum, ovium, vaccarum, et hujusmodi cum communi participatione fructuum, sed cum hoc, quod periculum non ad dantem, sed ad accipientem spectet, ut scilicet teneatur pro pereuntibus totidem substituere, et adhuc annuam pensionem solvere, sed minorem, quam alias deberet,

ut sic fiat justa, et æqualis compensatio pro illo onere imposito et suscepto, diminuendo scilicet tantum de lucro respectu conferentis, quantum importat onus periculi, quod suscipit ille, cui conferuntur. Sic Lessius, lib. II, cap. 35, dub. 5; Molina, *loc. cit.*, disp. 503; Layman, *loc. cit.*, num. 4; Sporer, *loc. cit.*, nu. 60, et ipso teste communis aliorum contra paucos: et ratio est, quia in tali contractu societatis nulla proprie intervenit usura, cum unica sedes usuræ sit mutuum. In tali autem contractu cum tali pacto nullum proprie intervenit mutuum, nec formale, nec virtuale, cum non transferatur dominium rei collatæ in recipientem, uti reperitur de ratione mutui, quandoquidem per mutuum proprie transfertur dominium rei mutuatæ in mutuatarium, adeoque, etc. Tum quia mutuum consistit in rebus non frugiferis, sed usu absumendis, ut pecunia, frumentum, vinum, et hujusmodi. In dicto autem contractu dantur res frugiferæ, adeoque pars fructuum pro eis juste exigere potest, non obstante tali pacto; dummodo tantum diminuatur de lucro, seu de ipsa parte fructuum respectu conferentis, quantum importat onus periculi, quod suscipit ille, cui conferuntur.

* Antequam ulterius progrediamur, videndum quomodo contrahatur societas, et de variis societatis speciebus. Et quidem primo ad contrahendam societatem, nihil præter consensum contrahentium requiritur, exploratum est. Quare « societatem coire et re, et verbis, et per nuntium posse, dubium non est. » L. 4, ff. *Pro socio*. Sæpius hæc lex societatis contractui adjicitur; ut quis certam partem in societate ferat; quod si non fuerint partes societati adjectæ æquas eas esse constat, quin rem mutet, ut quis duas, alter tres partes habeat. L. 29, ff. eod. Quoad lucrum si contrahentes noluerunt partem certam cuique socio competentem definire, possunt eam relinquere arbitrio boni viri, licet hic unus ex sociis sit. L. 6, l. 76, l. 78, l. 79, l. 80, ff. eod. Sed in societate hoc modo coita observandum est quod, « si societas coita sit ex his partibus, quas Titius arbitratus fuerit, si Titius antequam arbitraretur, decesserit, nihil agit, nam id ipsum actum est, ne aliter societas sit, quam ut Titius arbitratus sit. » L. 75, ff. eod. Interdum etiam contractui societatis adjiuntur leges circa tempus, quo duratura sit, incipiet aut finietur. Nam « societas coiri potest vel in perpetuum, id est dum vivunt, vel ad tempus, vel ex tempore, vel sub conditione. » L. 1, ff. eod. Quod si coiretur societas duratura in æternum, nulla ipso jure esset societas l. 70, ff. eod. Diximus societatem sub conditione contrahi posse, quod nunc ita obtinuit, at vero antiquitus quæstio fuit vel maxime discussa. Hujus controversiæ rationem affert Cujacius. Cum contractus societatis, saltem universorum bonorum singulari jure dominium rerum, quæ conferuntur, transferat; fingebatur in ea intervenisse mancipatio: porro mancipatio nec diem, nec conditionem recipit, ideo ex istorum sen-

tentia non poterat societas sub conditione coiri. At Justinianus omnem penitus diremit quæstionem statuens « societatem contrahi posse non solum pure, sed etiam sub conditione: voluntates etenim legitime contrahentium omni modo conservandæ sunt. » L. 6, cod. *Pro socio*.

Quoad vero diversas societatis species, easdem enumerat Ulpianus, l. 5, ff. *Pro socio*: « Societas contrahitur sive universorum bonorum, sive negotiationis alicujus, sive vectigalis, sive etiam rei unius. » His alia etiam addi potest societas, nempe universorum, quæ ex quæstu veniunt, quæ longe differt a priori omnium bonorum societatis specie. In omnium bonorum societate non requiritur necessario, ut omnes socii æqualem partem conferant, cum qui minus confert, opera sua supplere possit. L. 5, ff. *Pro socio*. Contracta societate, omnia sociorum bona illico communicantur, licet specialiter non intervenerit traditio, quæ semper præsumitur. L. 1, § 1, l. 2, ff. eod. Ab universali communione unice excipiuntur nomina debitorum, quæ, cum cohæreant personæ, non communicantur. L. 3, ff. eod. Quod attinet ad ea, quæ socii post contractam societatem acquirunt, ea quidem non ipso jure societati quærentur, sed ea socius, ex quacunque acquisiverit conferre tenetur. L. 3, § 1, l. 52, § 16; l. 73 et l. 74, ff. eod. Quinetiam dos, quam uni ex sociis uxor ejus attulit, societati acquiritur, cum sua tamen causa, scilicet, ut ex ea sustineantur onera matrimonii. L. 65, § 16, l. 66, ff. eod. Intellige tamen socium omnia bona et lucra conferre debere, modo ex justa et legitima causa procedant. Nam si ex illegitima, ut ex furto, rapina, maleficio, adulterio, et similibus, non tenetur conferre, sicuti alii socii tenentur damna pro his rependere, si tamen non permiserunt, ut communicarentur lucra illicita. L. 52, § 17, 18, l. 53, l. 54, l. 55, l. 56, l. 57 et l. 59, ff. eod. Quoad onera vero, quæ ferre cogitur societas, sciendum est, æs alienum cujusque socii ad societatem pertinere. Item ad hujus societatis onus spectabit quidquid ad suos, familiæque suæ necessarios usus unusquisque ex sociis erogabit. L. 73, § 1, ff. eod. Idem dicendum etiam de dotibus filiarum, cum ex necessitate dentur, circa quas plures excitat et resolvit quæstiones Papinianus in l. 81, ff. eod., tum circa constitutionem, tum circa solutionem, quæ ideo videnda est, cum non modo locum habere possit in societate omnium bonorum, sed etiam in aliis societatibus, si in his conventum sit, ut dotes filiarum sociorum sumptibus societatis constituentur.

Societas universorum, quæ ex quæstu veniunt, contrahi intelligitur, cum societas simpliciter contrahitur. Ita docent Ulpianus et Saulus, in l. 7, l. 8, et l. 13, ff. *Pro socio*. Inter quæstus recensentur etiam, et in hanc societatem conferri debent stipendia militiæ, et salaria. L. 52, § 8, ff. eod. Verum in hac societate socius non tenetur conferre